

I. N. J.
Dissertatio Gradualis,
De
*Præjudiciis Oeconomiæ
 Noxiis,*

Pars Secunda et ultima, prima edita fuit
 Adnuente Amplissima Fac. Philos. Sab pmaes: Kalm.

Quam

Adnuente Amplissima Fac. Philos.

Præside

Mag. SALOMONE KREANDER,

Oeconom. Profess. Reg. & Ord. Reg. Soc. Patr.

Svec. Membro,

Examinandam exhibet

ISAACUS ERICUS ESTLANDER,

Ostrobothnienfs,

In Auditorio Majori

Die VIII Julii An. MDCCCLXXXIX,

H. A. M. C.

Aboe, Typis Frenckellianis.



Eum quidem in finem conditum est genus hominum, ut veritatem inquirant sedulo, & summa ejus dulcedine delectati, ejusque suffulti subsidio, suam promoteant felicitatem. Verum post cladem primævam, & manes illos deplorandos, quos ex communi patimur morbo, non potest dici satis, immo ne cogitari quidem, *quanta sub nocte nostra dies jaceat*, & quam multis, in cognoscendo vero, difficultatibus impeditus sit humanus animus. Spissa errorum caligo radios veritatis obnubilat, & remoras pene inextricabiles objicit. Nusquam non occurunt ingenia pravis iudiciis obnoxia, quae in vero dignoscendo prorsus cœciunt, & noctuarum instar caligine delectantur. Sed tædet diutius immorari argumento, quod quam vellem minus evidens esset! Nunc vero stultitia & inanum opinionum supelectile adeo scatet mens humana, ut cum lacte quoque nutricis errorem suxisse videatur. Ab hac vero infirmitatis culpa, immunes esse deberent provectiores literarum cultores, quos eruditio a rerum omnium ignara sed credula plebe secernit, & sciencia-

tiarum Divina ambrosia allicit, ut rationes & causas rerum solide non tantum perspiciant, sed & sanum de rebus omnibus judicium adhibeant. Interim tamen inter splendida eruditorum vitia, quibus omne seculum laboravit, haud postremum obtinent locum *Præjudicia*, quæ feraces scientiarum agros, carduis & spinis errorum nullo non tempore implet. Impense quidem seculo huic & superioribus gratulamur, quod jam discussis antiquorum temporum officiis artes & scientiæ reviviscere cœperint, etjam apud Gentes ignorantiae caligine antea obsitas, quæ jam cum nationibus cultissimis certare incipiunt. Verum feliciora hæc scientiarum fata non diu venerari licuit, antequam infinitæ in illis lites & discordiæ a quorumvis male fedula manu fererentur. Unde evenit ut varia illa opinionum monstra non tam profligentur ab eruditis, quam potius istis obstetricantibns mirifice adolescent; id quod de omnibus in universum scientiis valet, quarum ut nulla est, quæ non certas suas continet veritates, ita nec ulla sine aliqua præjudiciorum macula in orbem prodiit litteratum. Quod ad scientias attinet Oeconomicas, veritatem hujus rei quadantenus demonstravit Frater meus dilectissimus RUD. Jos. ESTLANDER Pastor Eccles. in Lappfieri meritißimus, qui in dissertationis suæ de *præjudiciis Oeconomiæ noxiis* particula prima, Præsidio summi viri, Qeconom. quondam ad Reg. hoc Lyceum Professoris Dni Doct. PETRI KALM A:o 1778 edita, non nulla

4

atro carbone notavit præjudicia Oeconomica, aliis
incepta sua eodem ausu persequendi laborem commen-
dans. Nos itaque eundem in finem specimen edituri
Academicum, in eadem materia continuanda exiles
nostras periclitari voluimus vires: quem innocuum
nostrum conatum, ut B. L. mitiori censura perstrin-
gat, eo magis præoptare nobis necesse est, cum ve-
rendum hac omnino occasione sit, ne in ipso fere ve-
stibulo festinatæ opellæ, pedem figere nos cogant,
præter cæteras, remoræ etjam typographicæ.

§. V.

In laudatæ dissertationis §. 2. inter argumenta
maximi ponderis, in quibus explicandis versabitur
Oeconomia publica, hoc quoque jure refertur nego-
tium, folciter caute & prudenter indagandi, quinam
pessuli, luxui, intensissimo Oeconomiæ & felicitatis
publicæ hosti obdendi fint, ita ut privata luxuria o-
dio habeatur, publica magnificentia prudenter adhibi-
ta diligatur. In quo quidem arguento enodando,
multos multis favisse præjudiciis, adeoque multifa-
riam esse hallucinatos, tanto minus mirari nobis con-
tigit, quo difficilius esse constat accuratam ipsius lu-
xus condere definitionem, & determinatos ejus & fru-
galitatis, omni in casu constituere limites. Sed mo-
nere heic quoque licet, non probari nobis præconce-
ptam eorum opinonem, qua multi falso quidem ren-
tur, nullam satis dilucidate tractari & explicari posse
ide

idem, quam quæ antea accurate & logice definiatur. Recte enim Cicero, ut res obscuræ, ait, definiendo evadunt clariores, ita res claræ definiendo fiunt obscuriores. Quid sit luxus, suus cujusque sensus communis, status & conditio, firmior aut infirmior valemudo, opes & facultates, legesque, si quæ in civitate quadam latæ fuerint, sumptuariæ docere possunt. Terrimum autem est præjudicium, quo quidam aut ingenii ostentandi causa, aut specie veritatis decepti, luxum utilem civitati esse, & ad ejus florem non parum conducere opis, specioso argumentorum apparatu adstruere allaborarunt. Quæ tamen omnia uno iectu facile corruunt, quam primum consideraverimus, luxum, quod nemo unquam negavit, aut negare potest, mores civium reddere perditissimos; moribus vero desperatis, quid potest in civitate esse incolume aut validum? Bene igitur illustris MONTESQVIEU in immortali opere *de L'esprit des loix*, livr. VII chap. II. *Moins il y a de luxe dans une republique, plus elle est parfaite. Il n'y en avoit point chez les premiers Romainss; il n'y en avoit point chez les Lacedemoniens; & dans les Republiques, ou l'egalité n'est pas tout-à-fait perdue, l'esprit de commerce, travail & de vertu, fait que chacun y peut, & que chacun y veut vivre de son propre bien, & que par consequent il y a peu de luxe. A mesure que le luxe s'établit dans une republique, l'esprit se tourne vers l'interet particulier. A des gens, a qui il ne faut rien que la necessaire, il ne reste a désirer que la*

gloire de la patrie, & la sienne propre. Mais une amie corrompue par le luxe a bien d'autres desirs. Bien tot elle devient ennemie des loix, qui la genent. Le luxe que la garnison de Rhege commenca a connoître fit qu'elle en egorgea les habitans. Sitot que les Romains furent corrompus, leur desirs devinrent immenses. Quand par un impetuosité generale tout le monde se portoit a la volupté, que devenoit la vertu? Non satis equidem mirari possumus, quod a sagacissimi cæteroquin ingenii viris, pro hoc, quod rejicimus, paradoxo pugnantibus, affirmari videamus, causam interitus imperii Romani in luxu non esse querendam. Veriorem, inquiunt hujus rationem TACITUS suppeditat, ubi *invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecuniis turbanter*, id perisse testatur. Unde autem quæso, hæc omnia provenere, nisi ex luxuria? de cuius pestilentissima & immedicabili, ad evertendam rem publicam Romanam, rabie, plurimis in locis ipse conqueritur Tacitus, cui pollicem premunt cæteri omnes rerum Romanarum Scriptores.

§. VI.

Sed urgent tamen ingeniosi luxus desensores, luxuriam parvas dunataxat civitates pessum dare, magnis vero insigne adferre robur lucrumque. Auctor augustinus libri *L'Anti Machiavel ou examen du Prince de Machiavel* hac de re ita habet: *Le luxe, qui nait de l'abondance, & qui fait circuler les richesses par toutes*

7

les veines d'un etat, fait fleurir un grand Roijame; c'est lui qui entretient l'industrie, c'est lui qui multiplie les besoins des riches pour les lier par ces memes besoins avec les pauvres. Le luxe tout au contraire feroit perir un petit etat; l'argent sortant en plus grande abondance du pays, qu'il n'y rentreroit a proportion, feroit tomber ce corps delicat en consomption, & il ne manqueroit pas de mourir ethique. Minus recte heic urgetur, absente luxu statim cessare vigorem commerciorum floremque artium manuariarum, præstat enim exteris vendere merces, quam domesticæ luxuriæ easdem conse crari. Novimus statum Fabricarum in Belgio fœderato, novimus & in Gallia. Differentiæ inter lucrum quod ex hac fodina utraque haurit natio, causas alias varias esse, licet negari nequeat, nulli tamen dubitamus, quin & in earundem censum optimo suo jure veniat major in Galliæ quam in Batavorum finibus luxus, unde fit, ut pars non modica eorum, quæ in fabricis conficiuntur, domesticus usus, in fraudem publicæ utilitatis consumat. Certissimus itaque, in civitate tam magna quam parva, est luxuriæ effectus, quod quæ multorum antea rem privatam invasit, pedetentim publicam tandem corripiat paupertas. Recte igitur
LUCIANUS I. in Ruf. v. 35.

Et luxus populator opum, quem semper adhærens
Infelix humili comitatur gressu egestas.

§. VII.

Numerum legum nostrarum Oeconomicarum sunt qui laudent, sunt qui vituperent. Nos multitudinem earum saluti publicæ fæpe obesse autem amus. Quocirca urgentes audire nobis videmur multis, felicissimum illum esse imperii statum, in quo norma agendorum cuique sit manifesta, eaque non generalis tantum, sed ad specialiores quoque casus applicata: optime suis civibus consulere illos Principes, qui cui libet scelerum generi peculiarem opponant legem: justitiæ suum tribui, si quilibet casus dabilis lege muniantur. Quorum quidem nonnulla vere, non nulla parum circumspete dicuntur. Tantum quidem abest, ut legibus suam in Republica necessitatem derogemus, ut potius, hac sublata, ipsam rempublicam tolli statuamus cum CICERONE, ita in Orat. pro A. Cluent. pronunciante: *mens & animus & consilium & sententia civitatis, posita est in legibus.* Id vero in utramque partem disquiritur multitudo legum reipublicæ noceat, an vero profit, ubi quidem nos, ut diximus, illorum sententiæ accedimus, qui hanc civitati detrimentosam esse arbitrantur. Certe ut in quavis societate, ita in republica diversæ occurrunt actiones diversis nuncupandæ nominibus, diversamque præ se ferentes naturam. Sed tamen hæc omnes necessario inter se conveniunt in aliquo tertio, quod non aliud esse potest, quam bonitas vel malitia. Hæc vero non aliunde quam ex habitudine & relatione ad legem est dijudicanda, ita

ta ut si actio cum lege conveniat, bona audiat, si autem discrepet, mala. Ergo in Republica bene instituta, lex est illa norma, ad quam quælibet actiones civium referendæ sunt, quæque omnibus est inculcanda, & cujus ad tenorem cuncta erunt mensuranda. Hinc prono, quod ajunt, fluit alveo, præcipuas has esse legis affectiones: ut sit perspicua, æquivocationibus nullis obnoxia, nec in diversas partes flexibilis, sed æqua lance omnium actiones æstimans, item adæquata h. e. continens omnes eos titulos, ad quos actiones istæ diversæ revocari possint, adeoque ad quoscunque demum status applicabilis, constans porro, nec facile & temere mutabilis; paucis denique verbis & præceptis concepta, ut tanto facilius memoriae insigatur, & infixa hæreat. Paucitas quidem deducitur a fine earum proximo, qui est observatio: quod si enim plures latæ fuerint, multitudine obruuntur cives, atque sic illæ, quas omnes observare, memoriaque tenere nequeunt, sensim in contemnum abeunt. Cumque variæ præter legem generalem feruntur leges, harum iterum legum novæ adduntur explicationes, & insuper cujusvis explicationes vel restrictiones, in infinitum fere numerum ex crescit multitudo legum. Oneratur hoc numero Judex sententiam pronunciatus, cuius officium est, genuinum legis agere interpretem & unicuique id jus quod lex tribuit, adjudicare: oneratur etiam quilibet Actor justitiam suæ causæ secundum multas has leges æstimaturus, ac in foro prolatus.

B

Su-

Superfluum denique est plures condere leges, & in quovis casu dato novum apud Principem efflagitare editum. Novae enim illæ leges aut convenient cum lege, quam dico primigeniam, aut non; si non convenient, injustæ sunt vel hæ vel illa, si convenient, supervacaneæ. Parum itaque abest, quin statuamus crebra statuta multasque leges argumentum esse mali regiminis & morbosæ reipublicæ, quemadmodum multa emplastra & remedia certa sunt signa corporis morbidi.

